

1738. 70336

2254.

1766, 3


DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA
DE
VITIIS MANDATI
PERPERAM PLERVMQVE REPREHENSIS
QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
IN PERANTIQVA HIERANA
P R A E S I D E
DN. HIERONYMO FRIDERICO
SCHORCH, ICTO

SACRI PALATII CAESAREI COMITE, EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIIS ELECTORIS MOGYNTINI CONSILIARIO REGIMINIS, MEMORATAE
FACULTATIS ADSESSORE, ET DECRETALIVM PROFESSORE P. GRD.
CIVITATIS ERFORDIENSIS CONSULE PRIMARIO, NEC
NON ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAEC SCIENTIARVM VТИLIVM
PRAESIDE,

H. L. Q. C.

DIE XXIX JAN. A. O. R. MDCCCLXVI.
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
LEGITIME CONSEQVENDIS

DEFENDET
A V C T O R
CHRISTIANVS THEOPHILVS BAHRDT
SCHOENFELDEN. MISN.
ADVOCATVS ELECT. SAXON.
* LITERIS HENR. RVD. NONNII, ACAD. TYP.



ILLVSTRISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
CAROLO GEORGIO FRIEDERICO
S. R. I. COMITI
a FLEMMING

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE MINISTRO
STATVS INTIMO, ET RERV M EXTERARVM
SECRETARIO STATVS, ORDINIS POLO-
NICI AQVILAE ALBAE EQVITI.
REL. REL.

DOMINO AC MAECENATI INDVLGENTISSIMO

SACRVM.

ILLUSTRISSIMO
ALTO EXCELSISSIMO DOMINO
DOMINO
CAROLO GEORGIO LUDWICCO
S. R. I. COMITI
A HILMING
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE MINISTRARIO
STATAS INTIMO ET REBUS EXTERIORIBUS
SECRETARIO STATAE ORBIS TERRARUM
NICI AVULAE ALVARE VOLVIT
REF. REF.

SACRA

COMES ILLVSTRISSIME

MAECENAS INDVLGENTISSIME

Sua quidem luce splendet sapientia ac virtus,
solisque instar in sui admirationem rapit,
quotquot istam iustis adspiciant oculis: neque
defuerunt vñquam, quos & officium & ingenium
euocaret ad eius laudes æternis monumentis
celebrandas. Attamen, quamvis imbecillitatis
ingenii mei probe conscientius, nolim cum illis
comparari, licebit, nec erubescendum videbi-
tur, cupere in iis certe numerari, qui nihil sibi
potius aut antiquius ducant, quam ut omnia
summa TIBI, COMES ILLVSTRISSIME,
adprecentur, quem constat de salute Saxonæ
publica pariter ac summo litterarum flore, com-
muni

munī omnī iudicio, atque uno singulorū
ore, celebrari longe meritissimum. Hęc,
PATRONE INDVLGENTISSIONE causa
potissimum fuit, quare auderem, (veniam
enī dabis, quę gratia TVA est, meę audacię)
hunc exiguum libellum ILLVSTRISSIMO
NOMINI TVO consecrare, qui cum argu-
mento suo non possit, certe SPLENDIDIS-
SIMO NOMINI TVO quam maxime su-
perbiet, quid? quod omni ex parte absolutus
erit, Summa TVA non indignus iudicatus
gratia, de qua, si imposterum gloriari potero,
maximam felicitatem me nactum esse existi-
mabo.

COMES ILLVSTRISSIME
MAECENAS INDVLGENTISSIONE
ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO
CHRISTIANVS THEOPHILVS BAHRT.



Q. D. B. V.

§. I.

INSTITVTI RATIO.

En hic mos vbius fere receptus, vt nemo ad dignitates maiores admittatur, nisi prius fidem doctrinamque suam publice probauerit, aque specimen more maiorum ediderit, talibus copiis instructum, quæ illud, nisi valde laudabile, tamen adsensione doctorum virorum haud indignum reddant, videlicet, vt aut necessitate quadam, aut singulari vtilitate bonis

A

se



se commendet. Quæ enim scriptio vel tralatitia, vel vulgaria continet, vel rem plane inutilem tractat, ea vix ac ne vix quidem calculum mereri videtur, quoniam neque ad veritatem cognoscendam quidquam facit, neque commodium ullius promouet, ac perinde habenda, ac si euulgata non esset. Hinc etiam est, quod parum iis oblectemur disputationibus, quæ illis requisitis neglectis, absque omni necessitate pariter ac vilitate conscriptæ sunt, & quæ adeo vix operam compensant, quamvis quis iis perlegendis impendere non dubitauit. Nolo tamen hac mea sententia id efficeri, vt eorum studium in hunc numerum referam, atque vituperem, quod non omnibus proficit, ipse enim sponte confiteor, quod illud non statim superfluum, & inutile censeri possit, quod nonnullorum scopo inseruit, & paucis tantummodo vilitatem præstat. Dum autem hæc mediator, ea merito mihi quoque, commentatiunculam super re quadam iuridica conscribenti, dicta esse bene intelligo. Habebam enim in mente, quædam *de vitiis mandati perperam plerumque reprehensis* differere, illamque dissertationem, pro summis in Iure honoribus in patria mea Academia Lipsiensi capessendis, defendere. Iam vero venit amicus meus, & narrat, se eosdem honores apud Erfordienses esse petitorum, multisque suis neque vanis suasionibus id apud me effecit, vt idem consilium caperem, & a priori proposito desisterem. Genus vero & materiam scribendi retinui, quæ vt rite siant atque definitantur, hæc totius mea tractationis erit ratio, vt de natura & requisitis mandati, tam illius,
quod

quod coram Actis conficitur, quam extrajudicialis præfatus, de singulis requisitis speciatim differam, & deinde in vitia, quæ circa extensionem mandati committi possunt, inquiram. Quod meæ qualiscunque industriaæ specimen, bonos rerum censores bonam in partem interpretaturos, meumque studium æquis iudiciis & excitaturos fore & exornaturos, spero atque confido.

§. II.

*DE NATVRA ET REQVISITIS MANDATI,
ET PRAECIPVE IUDICIALIS.*

Nullum extraneum pro altero in iudicio sine mandato comparere posse, tam Iure Romano, quam legibus nostris Saxonis tam certum est, quam quod certissimum. Ius enim Romanum si species ipse Vlpianus *l. i. pr. ff. de procur.* procuratorem illum adpellat, qui aliena negotia mandato domini administrat, & alio loco ait Prætor; procuratorem ad quancunque actionem, si ei mandatum erit ab eo, qui eius actionis dominus est, causa cognita admittam. Vult igitur Prætor, ut nemo alterius procurator esse possit, nisi ex eius mandato. Ex verbis autem adiectis, *causa cognita* adparet, se neutiquam quemcunque, eti mandato sit instructus, esse admissurum, nisi antea cognoverit, an mandatum sit perfectum, & nullo labore vitio, & utrum causa mandata sit talis, quæ mandatarium sive procuratorem admittat. Ipsum vero modum mandandi apud Romanos quod attinet, certum est, eos nul-



las fere adhibuisse solennitates, ita ut vel apud Acta Präsidis & Magistratus licuerit procuratorem fieri, etiam per litteras & per nuncium, quod l. cit. §. 1. clare demonstrat, nec in ipsa verba, quibus res aliqua mandabatur, eos valde inquisiuisse, docemur §. 1. I. de iis per quos ag. poss. ibi enim: *Procurator neque certis verbis constituitur, nec præsente semper adversario: cuicunque enim permiseris rem tuam agere, aut defendere, is tuus procurator intelligitur.* Sic Iure Romano. Quid vero Saxones nostri? Quod opus sit mandato ei, qui aliena negotia administrat, declarat Ord. Pr. Sax. Vet. Tit. VII. §. 1. his verbis: es soll niemand von eines andern wegen gerichtlich zu handeln verfasset werden, er habe denn dessen genungsame Gewalt; ita, ut huic, qui fecus fecerit, exceptio illegitimatioonis opponi queat, quippe qua etiam non opposita iudex ex Officio Aduocatum vel Procuratorem sine mandato comparentem repellere tenetur, quod & disertis verbis adprobatum per Ord. Pr. Sax. Vet. Tit. 7. verb: wenns gleich vom Gegeittheil nicht gesuchten würde, aus richterlichen Amt verworfen werden. Imo & multam falsos Procuratores incurrere, & quidem prima vice quinque, altera vice decem Thal. & sic deinceps puniri, ex eod. loc. Ord. Pr. S. §. 1. und der Advocat anfangs um 5 Thlr., zum andernmal, wenn er dergestalt in derselben Saché wieder verfäßt, um zehn Thlr. und sofortan gestraft werden, clare adparer. Neque multam' tali casu illis impositam a principali repetere aut accipere licet, iuxta expressum text. Ord. Sax. Recogn. ad Tit. III. §. 2. wie denn auch den Advocaten und Procuratoren, solche und andere Strafen

sein



5

sen von ihren Clienten wieder zu fordern, sowohl diesen, jenen
solche vor sich wieder zu erstatten, hiermit ausdrücklich unter-
sagt wird, und da sie hierwieder handeln, der Client zum dop-
pelten, der Advicat aber zum vierfachen Ersatz des, wider un-
ser Verboth gegebenen, oder genommenen Quanti, angehalten
werden. De hoc ergo res certa. Ast illud videndum, quo-
modo mandetur. Antequam vero hoc faciamus, indican-
dum est, quid sit Mandatum, quidque per illud intelliga-
mus, ne forte sint; qui credant, nos de ipso contractu man-
dati fore commentatueros. Per Mandatum itaque, quod
Germani eine Vollmacht adpellant, nihil aliud intelligimus,
quam potestatem alicui datam pro altero hos vel illos actus
expediendi. Habemus duo mandata committendi genera,
quorum unum sit coram Actis, vel in Iudicio, quod Iudi-
ciale vocabimus. Alterum vero Extrajudiciale vocabimus
& sub eo comprehendimus omnia alia mandata extensa, si-
ne vlla aliqua distinctione, vtrum ad actus iudiciales an ad
negotia extraiudicia data sint. Hac ideo praeponenda
necesse putauimus, ne abusus cuiusdam horum termino-
rum accusari possimus, cum multi sub mandato judiciali
illud, quod ad actus iudiciales, & sub Extrajudiciali, quod
ad negotia extraiudicia dataatur, intelligant. Primo ergo
de judiciali mandato agendum, quod vero tribus verbis
absoluti poterit, nullis enim præcipuis ibi opus est solenni-
tatis, & ad illius perfectionem sufficit, ut principals per-
sona in præsentia iudicis sese declaret, quod hunc suum
velit esse procuratorem.

A 3

§. III.



§. III.
DE REQUISITIS MANDATI EXTRAJUDICIALIS.

Ast videamus nunc de altera specie mandati, extra*judic*iali nimirum. Tale enim non prius, nisi ex illo, quis, cui, quid, in qua causa, & eoram quo iudice mandauerit, cognosci potest, dicetur perfectum & omnibus numeris absolute*solutum*, essentialia nimirum si spectes. Quod vero ad formulas, quæ extensione ipsa, & clausulis mandato adponi consuetis, absoluuntur, vtrum nimirum charta blanca, quod vulgo ein blanquet vocant, sit sufficiens ad legitimationem causæ, an deinde nominatio heredum dixerit Erben und Erbnehmen, clausula rati grati, indemnitas sub hypotheca bonorum, cum libera, substituendi, & denique anni & diei adpositio, cum subscriptione & subsignature, aliaque absolute requirantur, aut eorum omissione vitiet mandatum, singulis §. §. disquiriri oporet. Antea autem quæstio quædam di*judicanda* est, vtrum indistincte & judiciali & extra*judic*iali mandato uti liceat, & an nullæ sint species, vbi vni horum expresse opus sit? Sunque omnino causæ, quibus iudiciale maiorem utilitatem adserit, quam extra*judic*iale, quarum aliquas saltem recensuisse, & regulam generalem subiecisse satis erit. In omnibus enim litibus extra*territorium* ortis, saltem nostris moribus, vsu receptum est, vt nullum aliud admittant mandatum, nisi iudiciale, & deinde, si actus maxime pra*iudic*iales sint expediendi. Rationem vero horum institutorum, inuenies tum in vsu fori, tum



tum in maiore, quam iudex ita habet, certitudine, principalem personam scilicet hunc vel illum procuratorem suum vere constituisse. Tinas enim, producere quempiam mandatum extrajudiciale ad cassationem hypothecæ cuiusdam, numne maximo principali persona foret præiudicio, si se inscio atque inuitio, ab extraneo, fictum mandatum producente, tollatur hypotheca? An vero, tale quid accidere posse arbitremur, quando iudiciale producatur mandatum, cum probabile sit, iudicem omnes suæ iurisdictionis subditos nosse? Obiicies vero, numne saltē idem sit valor mandati iudicialis ec aiusmodi quod coram Notario est confessum? Rechte quidem. At enim vero inquirendum est, primum, virum Notarius testes adhibuerit, deinde testesne adhibiti mandantem nouerint, denique an hoc ex mandato adpareat, quia alias effectus cessaret, ut nimurum certior fiat iudex, mandantem vere huic mandasse. His vero omnibus adhibitis, atque rite confessis, eadem quidem erit vtriusque mandati utilitas, et si vnu fori, qui legis haber auctoritatem, magis illud requiri quam hoc, constet. Est tamen casus in Ord. Recogn. vbi vnam eandemque habent utilitatem, & etiam vnu fori pari passu ambulant, in iis nimurum, qui scripturam ignorant, vbi ad Tit. VII. §. 1. ita dispositum, diejenigen aber, so des Schreibens unerfahren, sellen, wie ohnedem einen jeden frey siehet vor dem Richter, wo die Sache anhangig, sich wegen ihrer Gewollmächtigten erklären: oder auch von einem Notario und zweyen Zeugen, ein Attestat darüber unter die Vollmacht aussstellen lassen. Quoties itaque aut



aut lis extra territorium orta, aut actus maximi præiudicij a
iudice est expediens, toties lufe nostro Saxonico semper
mandatum iudiciale requiri, recte coniicies.

**AN CHARTA BLANCA SVFFICIAT AD MANU
DATVM?**

Quid vero de charta illa, quam latini *Blancam, vacuam,*
albam, Germani Membranen, Galli Blanquet, Itali Biana vo-
cant, aut, si maiorem illius descriptionem desideres, de sche-
dula scriptura vacante, quam vnu alteri subscripto nomine,
suoque interdum addito sigillo, eum in finem dat, ut accipiens
actus in præsenti expediendos ei inseribat, dicendum? quid
si Procurator eiusmodi vacuam, a principali quidem persona
subscriptam & subsignatam, sed non conscriptam & extensam
loco mandati producat? Num persona procuratoris satis
legitimata erit? hæc res primo adspicte omnimodo impro-
babilis haud videtur, & a multis DD. acriter defenditur, inter
quos præcipue ZANGER de except. P. 2. c. 8. n. 26. seq. de
chartis blancis ita loquitur; *Illas quidem mandatum legitimum*
haud dici posse, nisi subscriptæ pariter ac subsignatae fuerint a mandan-
re, quoniam subscriptio & subsignatio coniunctim efficiunt requisita sub-
stantia mandati, aliamque adhuc suppediat rationem, quod,
nimirum, subseribens omnia virtualiter scripsisse & tacite consen-
sisse censetur in scriptura, quam sua subscriptione confirmavit;
eamque sententiam adeo cum raliis DD. huc extendit, si charta



9

ta blanca sigillo tantum fuerit munita. Ast videamus, quantum valeant hæc argumenta. Etsi enim requisita mandati sint subscriptio, & subsignatio, tamen non sunt sola, nec cæteris neglectis dici potest mandatum, & multo minus mandatum perfectum; & quod ad alterum argumentum, mandantem nimurum subscriptione sua in omnia tacite consensisse censendum esse, pariter id nullius est momenti. Perpendamus enim propriam & genuinam rationem, ob quam solæ chartæ blancae non valeant, & nullum aliam inuenies, quam evitacionem suspicionis falsitatis, quam opinionem etiam CARPZ. P.I. const. I. def. 28. cum NICOL. BOERIO decif. 274.
n. 3. seqq. MATTH. BERLICH. part. I. concl. 14. n. 91.
CHASSAN. ad consuet. Burgund. tit. de iur. marit. §. 5. n. 8.
aliique fouent. Incerti enim essemus, ad quam causam, &
quo modo, an generaliter an vero speciatim sit mandatum.
Et quanquam fortasse obieceris, tunc tamen eiusmodi chartam vacuam valere tanquam mandatum, si mandans in subscriptione sua expressis verbis adiecerit, hoc esse mandatum in hac vel illa causa, tamen neutquam valebit, quoniam suspicio falsitatis nec per id remouetur. BERLICH dicit.
loc. n. 93. Et hæc ratio etiam nostris sufficiens visa est legislatoribus, quod patet ex Mand. Elekt. Sax. d. ao. 1603. verbis;
die Advocaten eines theils sollen auch öftmals, nur die blossen überschickten Blanquete anstatt der Vollmachten produciren,
dieweil aber disß ein gefährlich Thun, sintemahl ein solch Blanquet leichtlich von denen Acten kommen, und zu andern Sachen
wie man wohl erfahren hat, bößlich gebrauchet werden kan, so

B

soll



soll dieses bey Straf verboten und abgeschaffet seyn. Qnam sententiam etiam Scabb. nostri in pronuntiando sequuntur, quippe qui in causa Matthes Bexsen contra die Buslerische Wittwe, daß Kläger seine Person andrergestalt, als geschehen, durch eine vblig extendirte Vollmacht, zu legitimiren schuldig, legitime de iure responderunt. Singulare tamen quoddam institutum adhuc hodie est in terris Brandenburgicis, vbi charta blanca a mandante subscripta & subsignata admittitur, modo illi mandatum typis expressum, quo in illis regionibus vntur, adiecerit, quod testatur Cod. Frid. Part. I. Tit. 15. §. 4. ibi enim: wenn einen Advocaten ein Blanquet zu Betreibung einer Sache unterschrieben, und besiegt zugeschickt würde, ist es genung, wenn nur eine gedruckte Vollmacht dem Blanquet beigelegt wird. Fusius autem de hac tota materia agit EN GELBRECHT in Diss. de charta blanca ao, 1693. Helmst. habita.

§. V.

AN OMISSION HEREDVM VITIET MANDATVM?

Nunc vero de clausulis ipsis, quæ mandato adiici solent, videamus, simulque quatenus aut necessario aut saltem propter vsum fori valeant, aut superflua sint, perpendamus. Prima illarum, quam statim sub initio mandati adponunt, est clausula hæredum derer Erken und Erbnehmen. Et primo quidem, si Ius Romanum spectes, nullum unquam innue-
nies



11

nies vestigium, quod expressio hæredum in hoc vel illo actu
expediendo requiratur, cum potius vbi illius adhuc mentio
fit, pro inutili & superuacanea habeatur, quod luculenter ad-
paret ex l. 13. C de contr. & committ. stipul. vbi IVSTINIANVS
ita rem declarat: veteris Iuris altercationes decidentes, genera-
liter sanctimus, omnem stipulationem sive in dando, sive in faciendo,
sive mixtim ex dando & faciendo inueniatur, & ad hæredes, & con-
tra hæredes transmitti, sive hæredum mentio fiat, sive non. Cur
enim (hic rationem suppeditat,) quod in principalibus personis
iustum est, non ad hæredes, & aduersus eos transmittatur? In
omnibus itaque stipulationibus expressio hæredum non re-
quiritur, nullamque inueniemus legem, vbi in aliis negotiis,
aliud sit dispositum, cur ergo ab hac Iustiniani voluntate in
hoc nostro arguento recedamus? Sed relinquamus Ius Ro-
manum & videamus, quid postea introductum. Hic vero
distinguendum inter Ius Commune, Ius Sax. Vet. & Ius Sax.
Nouiss. Antiquis enim temporibus lege vniuersali in imperio
introductum, ut mandata non aliter concipientur, quam no-
mine mandantis & hæredum, quo hac ratione processus
mortuo mandante sine impedimento continuetur, sec. Rec.
Imp. d. 40. 1654. §. 99. vbi ita; daß die Gewälte gleich anfangs
auf derer Partheyen Erben mit gestellet werden; & tum, cum
specialis quædam litis reassumto absolute requireretur, omni-
no vtilis hæc clausula erat, propterea quod hæredes aliter
non, nisi earum mentio in mandatis facta fuerit, a lite rea-
sumenda liberari poterant. Nec ex alia causa Iur. Sax. Vet.
cautum fuit, vt hæredes exprimantur, quippe quam expressis

B 2

verbis



verbis Mand. Elect. Sax. d. 40. 1655. desiderat: die Vollmachten und Gewalten sollen gleich anfangs auf derer Partheyen Erben gestellet werden. Neque latine ita, vt ponas: *cum clausula hæredum, exprimere licebat, nec ad certas saltem hæredes restringenda erat vor mich, und meine Leibes Erben. Ut itaque omnium sive hæredum, sive bonorum possessorum species exhaustiret, per verba Erben und Erbnehmen reddebatur.* Cf. RIVIN, ad Ord. Pr. Sax. Tit. VII. Enunc. 24. Exemplum enim mandati ita concepti: *Cum clausulis hæredum, rati grati & indemnitate, & ob hanc ipsam causam reieci tradit BARTH in Hodeg. forens. Cop. I. §. XXIX. lit. b.* vbi sic pronunciatum: daß Beklagte sich andrer gestalt, als geschehen, und vermittelst eines auf die Erben und Erbnehmen deutlich eingerichteten Mandats zu legitimiren schuldig. Neutiquam vero, etiam tunc temporis, semper & indistincte in omnibus mandatis haec clausula requirebatur sed solum in actibus processualibus, sive contentiose iurisdictionis. In actibus enim voluntarie iurisdictionis expediendis, veluti ad acceptationem iudicialis donationis, confirmationis hypotheca, traditionis prædii in Lehn und Würden aliquis &c. si clausula hæredum omessa fuerit, mandatum subsistebat, prout in simili causa Scabini Lipl. pronunciarunt: ob ihr nun wohl anführt, daß die Vollmacht, so deshalb ihn ertheilet worden, nicht auf die Erben und Erbnehmen eingerichtet, diesennach ungültig gewesen; d. a. d. in gegenwärtigen Falle der von Bodenhausen seinen Sohn zu Verrichtung eines solchen actus Vollmacht ertheilet, der seine Perfection auf einmal erlangt,

erlangt, dahero nicht nöthig gewesen, dieselbe auf die Erben und
 Erbnehmen, als welches nur im Process erforderet wird, zu ex-
 tendiren BARTH. *Hodeg. Forens. loc. cit.* & RIVIN. ad O.
Pr. Sax. Tit. 7. En. 27. idque hanc ob causam, quia litis
 reassumtio in negotiis, quæ vno actu perficiuntur, metuenda
 non est, & sic, ratione huius clausula cessante, etiam ef-
 fectus cessaret. Hæc omnia vero Iur. Sax. Nouiss. mutata
 atque abrogata, sic vt omni vnu hæc clausula destitutuatur.
 Ita enim disponit Ord. Rec. ad *Tir. VII. §. 1.* verb: hingegen
 sollen die Vollmachten wegen unnöthiger und überflüßigen So-
 lennitaten nicht gesuchten, sondern wenn auch gleich z. E. die
 Benennung der Erben und Erbnehmen ic. darinnen ausdrück-
 lich nicht enthalten, weil solche ohnedem ex natura negotii &
 Contractus stiesen, und tacite darunter begriffen sind ic. keines-
 weges vor unzulänglich gehalten werden. Et pari modo etiam
 ratio introductionis huius clausula, nimirum litis reassumtio
 quod hæredes, *cit. Ord. Rec. ad Tir. XVII. §. 1.* abrogata fuit
 ita: die zu grosser Weitläufigkeit zum östern Anlaß gebende
 reassumtio litis, soll so viel die Erben betrifft, ohne Unterschied
 der Fölle ic. hiermit gänzlich abgeschafft seyn. Vnus tamen
 etiam Iure Sax. hodierno adhuc est casus, vbi nominatio hæ-
 redum, absolute requiritur, & illorum omissione vitiat mandatum,
 nimirum in Iudicio Mercatorio Lipsiensi, vbi ita *Ord. Merc. Lipf. Tir. VII.* Von Vollmachten pronunciat: Als soll
 hinsühro ein jeder, der seine Geschäfte durch einen andern ver-
 richten zu lassen, gemeinet ist, seinem Mandatario eine vor sich,
 seine Erben, und Erbnehmen ic. eingerichtete Vollmacht zu ge-
 ben ic. schuldig seyn.



§. VI.

*AN CLAVSULA rati ET grati SIT NECES-
SARIA?*

Iam vero in clausulam rati inquiramus, & utrum illius omissione vitiet mandatum, peruestigemus. Diu enim multumque DD. hac de re, additis quibusdam rationibus, inter se disceptarunt. Ut autem accuratius procedere possumus, illorum opiniones & argumenta in medium profaramus, harumque singulas, prout quævis falsa nobis visa fuerit, convellamus. Alii hanc clausulam expresse mandato inferendam esse statuunt, propter expressa verba l. 65. ff. de Procur. Alii prouocant ad l. 5. §. 18. ff. de op. nou. nunc. Alii denique sententiam suam probare contendunt ex pr. I. de satisd. Nos singula hæc argumenta, legesque allegatas sub examen vocabimus. Primum euoluamus l. 65. ff. de Procur. cuius verba hæc sunt: *si procuratorem absentem dominus satis datione releuare velit, litteras suas ad aduersarium dirigere debet, quibus significet, quem aduersus eum procuratorem, & in qua causa fecerit, ratumque se habiturum quod cum eo actum sit.* Sed primo in hac lege proponitur casus specialis, de procuratore absente, de quo ad mandatum generale non valet conclusio, deinde sermo hic est de epistola ad aduersarium emissa, non de vero mandato, quod patet ex verbis, *litteras suas dirigere debet*, & denique neutiquam de necessitate adiiciendi hanc clausulam Iure Consultus loquitur, sed, *quid iuris sit tum, cum ex voluntate quis illam adiecerit, quod ex subsequentibus legis verbis adparet,* hoc



hoc enim casu, ait, litteris eius adprobatis, veluti praesentis procuratorem interuenire intelligendum est. Itaque, & si postea mutata voluntate procuratorem esse noluerit, tamen indicium quo quasi procurator expertus est, ratum esse debebit. Iam prouocabant alii ad l. 5. §. 18. ff. de op. nou. nunc, ibi enim dicitur: qui procuratorio nomine nunciauerit, si non satisdabit, eam rem ratam dominum habiturum, nunciatio omnino remittitur, etiam si verus sit procurator. Quis vero iam primo huius legis intuitu non videt, illam versari circa casum, vbi speciali mandato opus est, non de mandato in genere conceptam esse. Tunc enim, si actus specialis mandati, qualis est noui operis nunciatio, expediendus, isque in mandato non sit expressus, iure illorum temporum, aut procurator repellebatur a iudicio, aut satisdatione de rato opus erat. Maxime vero ii impingunt, qui ex princ. I. de satisd. sententiam suam probare contendunt, vbi haec verba inuenies: *procurator vero si in rem agebat satisdare iubebatur, rem ratam dominum habiturum*. Quid ergo? Habes hic clarissima legis verba! Ergo omnis lis finita esse videtur! Hoc existimarent multi. Ast cum antecedentia huius tituli cum consequentibus coniungas, contrarium ex illo patebit. Sub initio enim huius tituli dicitur, *satisfactionum modum alium antiquitati placuisse, alium nouitatem per usum amplexam esse*. Iam in princ. & §. 1. h. t. describuntur modi satisfactionis antiquiores, ibique simel occurunt verba supra allegata, quod procurator satisdare debeat, rem ratam dominum habiturum. Aliter vero, pergit imperator §. 2. & 3. haec hodie obseruantur, sive enim quis



quis in rem actione conueniatur, sive personali suo nomine, nullam satisfactionem pro litis estimatione dare compellitur &c. Sin autem per procuratorem lis vel infertur, vel suscipitur, in actoris quidem persona, si non mandatum alii est insinuatum, vel praesens dominus litis in iudicio procuratoris sui personam confirmaverit, ratam rem dominum habiturum satisfactionem procurator dare compellitur. Nunc nostram adhuc suppeditabimus sententiam. Putamus namque, quando mandatum adsic certum, non opus esse clausula rati. Eo ipso enim quod mandavit, ratihabuit, vel ratihabere tenetur, nec villa etiam ratihabitione opus est, cum propter ipsam naturam mandati, tum propter expressa verba legis 6. 7. de cond. indeb. vbi res sic deciditur: Si procurator tuus indebitum soluerit, & ex ratum non habeas, posse repeti, Labeo libris Posteriorum script: quod si debitum fuisset, non posse repeti. Celsus: ideo, quoniam cum quis procuratorem rerum suarum constituit, id quoque mandare videtur, ut soluat creditori, neque postea expectandum sit ut ratum habeat. Sic igitur minus necessaria est hæc clausula rati, quia ratihabitio omni mandato inest, & mandans ea, quæ in mandato continentur, propter naturam negotii ratihabere tenetur, quam etiam sicut opinionem sapientissimus Saxonum legislator, quod ex Ord. Rec. ad Tit. VII. §. 1. patet: wenn auch gleich die Clausula rati darin nicht enthalten, weil solche ohnedem ex natura negotii & Contraclus fliessen, und tacite darunter begriffen sind. Quid igitur, si male procurator rem suam egerit, & causam mandantis neglexerit, num hæc etiam a mandante ratihabenda fuerit? Neutquam.

Etsi

Etsi enim communiter quidem DD. concludant, quod ea, quæ ex negligentia procurator commisit in iudicio, noceant domino per l. 10. C. d. proc. & l. 17. C. de transact. ANDR. GAIL. l. 1. obs. 45. n. 1. BARTOL. & alii in l. 1. §. 2. π. si quis ius diei non obtemp. hisque rationibus sententiam suam stabiliant, quod, vti procurator ad item constitutus litis dominus intelligatur, ita, quidquid a procuratore gestum sit, quod ad item tractandam pertineat, idem sit, ac si a domino gestum esset, & deinde sibi imputare debeat dominus, quod negligentem procuratorem elegerit sec. l. 23. in fin. π. de minor. l. Sed & si 7. §. vlt. π. de inst. aff. tamen cum tam naturalis æquitas, quam praxis hodierna suadeat, ne culpa procuratoris noceat domino, neve ex facto illius damnum sentiat, mandanti dabatur regressus aduersus procuratorem, ita, vt actione mandati contra illum possit experiri, & procurator teneatur de culpa sua, similisque contra procuratorem procedendi modus etiam apud nos in Sax. mandanti relictus per Ord. Rec. verb. wenn durch einen Advocaten oder Anwalt ein fatale processus verabsäumet wird, soll der principal, da von seiten vermeldten Advocatens oder Anwaldens ein dulos oder Nachlässigkeit verspürt würde, ipso iure, und schlechterdings sicher seyn.

§. VII.

*AN CLAVSULA INDEMNITATIS SVB HYPO-
THECA BONORVM SALVO MANDATO
OMITTI POSSIT.*

Sunt etiam, qui mandatis adponunt clausulam indemnitätis sub hypotheca bonorum, & illius in foro utilitatem

C

maxime



maxime vrgent, sed argumentis, quibus necessitas huius clausula probari possit, desituntur. Dicunt, illam in sa- uorem & securitatem procuratoris, ut eo promptius expen- sas in executionem mandati factas, repetere possit, introduc- tam esse; Adserunt deinde, quod vi illius clausula ipsi competitat actio realis in bonis mandantis, adeo, ut propter hypothecam aliis chirographariis creditoribus sit präferen- dus, & hinc inde concludunt, illam si non necessitatis, ta- men utilitatis causa esse retinendam. Perpendamus vero rem paulo adcuratius, & postea videamus, an adhuc illius superfit aut necessitas aut utilitas aliqua. Indemnitatem enim quod adtinet, non est, quod diu multumque sibi caueat procurator, cum primo notissima iuris regula, quod nemini officium suum debeat esse damnosum, illi succurratur, & deinde tam vi mandati ipse principalis ad indemnitudinem obligetur, quam contraria mandati actione mandatario satis consultum sit. Iam vero disputabimus de formula *sub hypotheca bono- rum*, num nec illa vsum aliquem saltem præster, et si non ne- cessaria sit, de quo res certa, quia nulla lege requiritur, quod egregie probat atque illustrat CARPOV in *Proc. Tit.*
5. art. 1. n. 82, vbi simul BERLICHII opinionem de nece- ssitate huius clausula reprobat. Ast non solum non necessaria, sed & maxime inutilem, & sine ullo effectu illam inuenies, si nimirum praxin hodiernam spectes. In genere enim Iure Sax. omnes hypothecæ generales, qua in manda- tis constitui solent, penitus abrogatae sunt, per *Ord. Rec. ad Tit. XLIV. §. 1.* Es soll in Zukunft keine general Hypo-

thee, sie mag gerichtlich oder außergerichtlich in rebus mobilibus oder immobilibus constituiet werden ic. von einiger Kraft und Wirkung seyn. Et deinde etiam ex hac ratione Iure nostro non sortetur effectum, quia si in mandato constituitur hypotheca, requisita illa nunquam adsunt, qua sec. dicti Ord. Rec. absolute necessaria sunt, vbi in cit. Tit. XLIV.
§. 2. ad oppignerationem rerum mobilium requiritur traditio realis, non ficta; in rebus mobilibus aber, dicitur, ist weder eine gerichtliche, noch außergerichtliche Beschreibung von einiger Wirkung, sondern es hat allein derjenige, dem ein Pfand zugleich übergeben worden, wenn er es wirklich in Händen hat, gestalt das constitutum possessorium, oder eine traditio ficta, hierbei keinesweges zu attendiren, ein ius reale daran erlanget. Hypothecæ vero rerum immobilium consensus iudicis accedit, in dicti Ord. Rec. ad Tit. XLVI. §. 2. sic dis-
positum; desgleichen wollen wir auch, daß keine hypothec, sowohl bey denen Lehn, als Allodial-Gütern ohne Unterschied derer Fälle, ganz oder zum Theil, andrer Gestalt, als vermittelst gerichtlicher Confirmation und Consens constituit werden mag. Sunt tamen aliqui adeo pertinaces, vt non omni usu hanc clausulam indemnitas destitui tunc putent, cum mandata sit res illicita, e. g. vt verberibus aut armata manu procurator excipiat aduersarium, aut vt verbâ iniuriosa contra illum emitat. Sed & frustra haec obiicies! Nam nec hoc calù clausula illa habebit effectum nec ullus datur mandatario contra mandantem regressus sec. §. 7. I. de Mand. quippe etiam, quia eiusmodi pactum inuitat ad delinquen-



dum, hinc inde non potest esse obligatorium arg. l. 27. §. 4.
π. de pact. add. Nic. Chrys. LYNCKERI Diss. de mandato rei
turpis. Jen. 1699.

§. VIII.

*AN CIRCA CLAVSULAM CVM LIBERA SIT
ALIQUA IURIS ET PRAXEOS
DIFFERENTIA.*

Nunc vero accedendum ad Clausulam *cum libera*, multis magnisque DD. dubitationibus obnoxiam, multisque dissertationibus tædiose fere ventilatam. Sed videamus iam, an tanti sit momenti, resque tam ardua, quæ adeo difficulter possit componi. Et primo quidem consulamus naturalem rationem, deinde in Ius Rom. inquiramus, postea Iuris Can. ea de re sententiam peruestigemus, & denique per praxin hodiernam Sax. omnem decidamus rem. Primo itaque si omnem naturalem rationem absque vlla lege positiva consideres, non adparet, quem effectum praedita clausula habere debeat. Quid enim interest, utram vniuersorum bonorum administratio alicui data sit, an vero concessa sit cum libera. Qui enim vult, vt alter negotia sua generatim suscipiat, & facultates suas omnes administret, is utique ita concessisse videtur, vt id libere faciat, cum si id nollet, restrictionem aliquam, certosque fines & terminos administrationi posuisset. Quæ autem limitata non est potestas, ea omnino libera est, vt saltem is, cui ad-

mini-

ministratio simpliciter commissa, ab eo, qui eandem cum libera accepit, non magis differre videatur, quam haeres simpliciter scriptus & haeres institutus ex aste, translatio domini simplex, & translatio dominii cum libero de ea re disponendi arbitrio, mandare negotium simpliciter, & mandare cum clausula rati. Administratio ergo simpliciter & in genere commissa semper libere commissa intelligitur. Ex quo iam consequitur, ex naturali ratione vtriusque eandem potestatem esse, & quod vni licet, alteri quoque licere, & vicissim, si quid generali mandato haud contineatur, id nec sub mandato, cui talis clausula inest, comprehendendi. add. VINNIVM Quæst. Iur. L. i. c. 9. DONELL. Comm. L. IV. c. 15. Vnde quemadmodum procurator generali mandato instrutus, casus speciale mandatum requirentes expedire nequit, ita quoque nec procurator, cuius mandato talis clausula inserta. In causis enim magni præjudicii, is qui in vnam consensit, propterea quod adiecta sit hæc clausula, non reliquas etiam, de quibus forte ne cogitauit quidem, adprobasse censendus est. Quod cum ratio vnicuique suadeat, auctoritatibus opus non est, & vnicum ZIEGLERVM optimum aequitatis interpretem ad Inst. Iur. Can. l. 3. d. 2. §. 1. verb. tunc enim &c. allegasse satis erit. Hac est a naturali ratione sententia nobis relicta, quam tamen eiusmodi esse fatemur, quae non expressum Iuris Nat. præceptum contineat, adeoque sola legislatoris voluntate tolli ac destrui possit. Quocirca agamus, & an lege aliqua hæc clausula effectum aliquem sortita sit, peruestigemus.

C 3

§. IX.

§. IX.

SENTENTIA IVRIS ROM. EXPO NITVR.

Sed nec Iure Rom. quocunque te conuertas, quidquam inuenies, quod a naturali ratione, de qua antea dixi, recedat. Nihil enim, siue alicui bonorum administratio simpli-
citer l. 60. ff. de proc. siue vniuersorum bonorum l. 3. §. 2. ff.
ind. solv. l. 12. ff. de pign. act. l. 17. §. 3. ff. de iurei. siue toto-
rum aut omnium bonorum. l. 63. ff. de proc. l. 7. §. 1. ff. quib.
mod. pign. vel hypoth. solv. omniumque rerum l. 1. §. 1. l. 47.
ff. de proc. siue omnium negotiorum administratio deman-
data, l. 12. pr. ff. de solut. siue generaliter libera administra-
tio rerum l. 58. ff. de proc. siue libera vniuersorum negotio-
rum administratio commissa l. 9. §. 4. ff. de adq. rer. dom.
siue denique plenam agendi potestatem habeat. l. 10. C. de
proc. Iure Civ. in effectu & ratione potestatis agendi inter-
est, & nullo casu facultas ex arbitrio suo alienandi tradita
esse censetur, quod vero plerique credunt, & in eo discri-
mēn inter procuratorem cum libera & omnium bonorum
ponunt. Prouocant hanc ob rem ii, qui procuratori cum
libera potestatem alienandi & permutandi tribuunt, ad l. 9.
§. 4. ff. de adq. rer. dom. ubi CAIVS ita dicit: Nihil autem in-
terest, utrum ipse dominus per se tradat alicui rem, an voluntate
eius alius. Qua ratione, si cui libera rerum administratio, ab eo,
qui peregre proficiuntur, permitta fuerit, & is ex negotiis rem ren-
diderit, & tradiderit, facit eam accipientis. Et deinde faculta-
tem permutandi probant, ex l. 58. ff. de proc. ubi PAVLVS
air:

ait: *Procurator, cui generaliter libera administratio rerum commissa est, potest exigere, aliud pro alio permutare.* Procuratori vero totorum bonorum hanc denegant facultatem, propter expressum text. *l. 63. ff. de proc.* vbi **MODESTINI** verba hæc sunt: *Procurator totorum bonorum, cui res administrande mandata sunt, res domini neque mobiles neque immobiles neque seruos, sine speciali domini mandato alienare potest. &c.* Ast perpendamus mentem harum legum, & videamus, an non omnium sit eadem. In priori enim *l. 9. §. 4. ff. de adq. rer. dom.* dicitur: procuratorem cum libera posse alienare, tum nimirum, si dominus ei permisit, seu quod illa verba inuoluunt, ex voluntate eius, si mandato aliquo ad hunc actum expediendum instruclus sit. Alienatio vero est actus specialis mandati. Ergo mens legis hæc, quod si procurator quidam speciali mandato instruclus esset, idem sit, ac si dominus ipse rem tradiderit. Iam vero in *l. 63. ff. de proc.* illa ipsa res uberior explicatur, vbi expressis verbis dicitur: procuratorem totorum bonorum non posse alienare sine speciali mandato. Non itaque actus alienandi illi simpliciter interdictus, sed hoc solum vrgetur, quod speciali mandato opus sit. Hoc enim obiici non poterit, quod in priori lege de procuratore dicatur, cui libera administratio negotiorum permitta fuerit, in posteriori vero sermo sit, de procuratore totorum bonorum, cui res administrande mandata sunt, cum iam supra ex legibus demonstrauimus, nullum in eo versari discriumen, vtrum adpelletur procurator cum libera, aut totorum bonorum, siue omnium negotiorum aut re-

rum,



rum, aut quocunque nomine illum adpellaueris, & p̄ibus
 omnino omnes frui iuribus, ita vt procurator omnium bo-
 norum, aut is, cui simpliciter omnium rerum gerendarum
 prouincia est commissa, possit iuramenta deferre, sec. l. 17.
 §. 3. ff. de iurei. nouare, l. 20. §. 1. ff. de nouat. soluere, l. 87. ff.
 de solut. pignori dare, l. 12. ff. de pign. act. & transigere, l. 12.
 ff. de paet. si nimirum speciale acceperint mandatum: sine
 tali vero neuter illorum eiusmodi actum, qui speciale man-
 datum requirit, ergo nec alienationem, expedire potest;
 cum nullus horum omnium procuratorum plus habeat po-
 testatis, quam nudus administrator, ac proinde ex arbitrio
 suo alienare nequeat, cum, vti STRYCK in Vſu Mod. ad ff.
 monet, alienare non est administrare, quo facit l. 7. §. 1. ff.
 de Off. Proc. Cef. vbi alienare & gerere sibi expresse oppo-
 nuntur, vid. l. 12. & vlt. ff. de curat. furios. De eo vero,
 quod alienatio sit specialis mandati actus, habemus l. 16. C.
 de Proc. qua ita se habet: *Procuratorem vel actorem pradii,*
si peciale distrahendi mandatum non accepit, ius rerum dominii
residendi non habere, certum ac manifestum est. Vnde, si non ex
 voluntate domini, vendentibus his, fundum comparasti, peruides,
 improbum tuum desiderium esse, dominium ex huiusmodi emtione
 tibi concedi desiderantis. Hic clare res deciditur, nec vlo
 modo distinguitur inter procuratorem cum libera & toto-
 rum bonorum, sed generaliter de omni procuratore dici-
 tur. vide FABIVM de MONTE de emt. q. princ. 3. n. 22. BRVNNE-
 MAN. Comm. ad Cod. l. 16. C de proc. n. 4. seq. Idque ob hanc
 rationem, quia venditio præfertim de rebus immobilibus
 sus

suscepta, maximi præjudicij est actus, qui citra speciale mandatum peragi nequit. arg. l. 25. §. 5. ff. de adq. vel omitt. hered. CARPZ. P. I. C. VI. def. 4. n. 7. add. FINCKELTHAVS. Obs. 115. n. 20. BARBOS. Tr. de claus. ysfruct. claus. 35. n. 38. Vnde non video, quomodo intelligi velit LYNCKER Anat. ad STRVV. Tit. de proc. vbi de differentia procuratoris generalis & cum libera ita differit: procurator generalis alienare non potest, nisi qua necessitas efflagitet, v. g. in rebus, que seruando seruari non possunt, sed procurator cum libera pro libitu & negotia cumprimis extraiudicialia tractare ad instar domini. Hactenus tamen is, qui cum libera est, procuratori generali comparatur, quod neuter ipsorum ista possit agere, que mandatum speciale requirunt.

§. X.

*AN IVRE CAN. HAC DE RE QVID SIT MV.
TATVM?*

Sed satis vidimus de Iure Civili, clausulam *cum libera* prorsus ineptam & superfluam esse. Iam ad Ius Can. deueniendum, num hic fortasse aliquid sit mutatum. Sed præmittendum ante omnia id, quod ex regulis interpretationis apud omnes receptis notum & certum est, in dubio nullum inter Ius Ciu. & Canon. statuendum esse discriminem, & hinc inde canones, quatenus a Iure Rom. recedunt, semper strictissime esse interpretandos. Quamuis autem plerosque Iuris Canonici interpretes haec in re habeamus ad-

D

uer-



versarios, illique vnanimi consensu, clausulam istam cum libera habere maximam utilitatem & effectum, statuant, nihilominus tamen, cum multas sententias vulgo receptas esse intelligimus, cum paucis quibusdam contrarium erimus defensuri. Iam vero prouocant uno ore omnes ad Cap. 4. de proc. in 6. quod ita se habet: *Qui ad agendum & defendendum, ac generaliter ad omnia, etiam si mandatarum exigane speciale, constituitur procurator, ex vi generalitatis huiusmodi, ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum requiritur, admitti non debet; sed si aliquis vel aliqui de articulis speciale mandatum exigentibus specificati fuissent, adiecta clausula generali, tunc ad non expressos etiam admittitur.* Dicitur itaque in hoc capitulo, quod procurator, si in mandato quidam specialis mandati actus expressi, & deinde clausula generalis adnexa fuerit, omnes reliquos actus speciales expedire possit. Sed primo non video, qua ratione sub clausula generali clausulam cum libera intelligi velint. Toto enim celo inter se differunt hae clausulae. Clausula enim cum libera in mandatis sic concipitur: *Ich gebe meinem Anwald freye Macht und Gewalt, alles bei dieser Sache zu verrichten, was ich selbst in Person verrichten könnte oder wollte.* Clausula vero generalis ita formatur: *Dass der Gevollmächtigte auch sonst alle actus, die ein special mandat erfordern, verrichten möchte.* Deinde ex Iure Ciuiili supra probauimus, verba cum libera potestate abundare, nec mandatario maiorem potestatem tribuere, neque etiam aliud quid quam potestatem, vel in genere vel in specie commissam, plenius explicare atque de-
cla-

clarare. Quod etiam Iure Canonico nullibi sublatum aut mutatum est; quocirca, si quis v. g. facultatem agendi transfigendi & iusiurandum deferendi acceperit, subiunctis verbis *cum libera*, non existimandum, illum etiam alias actus magni præiudicij præter memoratos exercere posse, sed verba illa cum libera vberioris declarationis causa addita esse credo, vt nimurum procurator circa actus præcedentes eosque expressos liberam agendi potestatem habere debeat. Sic omnis lis, hinc inde mota, quam facillime finiri, & leges Iuris Civilis cum præsenti lege ex Iure Canonico desumpta optime conciliari poterunt. Iure enim Ciuiili, vti antea monuimus, nullus clausula cum libera tribuitur effectus, ita vt procurator vi illius nullos actus specialis mandati expedire possit, & Iure Canonico eandem obtinere sententiam, ipsum nostrum *cap. 4. de proc. in 6.* docet, nimurum Procuratorem, et si ad omnia negotia, quæ speciale mandatuni exigunt, sit constitutus, tamen non admitti, nisi actus quidam specialis mandati specificati, & deinde clausula generalis, cum omnes reliquos actus specialis mandati expedire debere, adiecta fuerit. Vnicum ergo, in quo Ius Canonicum a Iure Ciuiili recedit, est hoc, quod ibi requiratur specificatio actuum quorundam specialis mandati, & adiectio clausula generalis: das er auch alle andre actus, die ein special mandat erfordern, verrichten möge.

§. XI.

QVID NAM VSV FORI RECEPVT M SIT?

Supereft adhuc, vt, an clausula nostra effectum aliquod
D 2 quem



quem per praxin forensem, quæ sape tyranni instar ab
 omni lege recedit, sortita sit, inuestigemus. Vbi primo,
 quod ad *O. P. Sax. Vet.* nullum ibi inuenitur vestigium, an
 vnuquam clausula illa vsum aliquem habuerit, nec ne, atta-
 men, si ex dictis & pronunciatis eorum, qui ius dicunt,
 quidquam conici possit, habebis in *Diss. Ioh. Balth. WERNERI*
præjudicium, quo Icti Wittebergens. ao. 1698. illi clau-
 sula omnem vsum denegarunt his verbis: Wenn nun gleich
 soviel N. betrifft, derselbe bey seiner Abreise eine general Voll-
 macht hinterlassen, auch solche dahin, daß der Gevollmächtigte
 Contracte schließen möge, nebst der clausula cum libera, wel-
 che vieler Rechtsgelehrten Meynung nach vim specialis man-
 dati insonderheit in negotiis extrajudicialibus hat, extendiret,
 auch diesfalls das bekandte Capit. *Iur. Canon. 4. de Proc. in 6.*
 angeführt wird: dieweil aber dennoch derjenige, welcher ein
 mandatum generale cum libera ertheilet, keinen actum so ein
 speciale erfordert, und aus welcher dem mandanti ein grosses
 præiudiz erwachsen kan, dergleichen die Veräußerung der im-
 mobilium ist, zu verrichten Macht hat, zumahlen nach denen
 gemeinen Kayserl. Rechten, welche diesfalls nirgends aufgehoben,
 auch derjenige, welchem libera negotiorum administra-
 tio aufgetragen, anders nicht, als wenn dadurch des mandan-
 tis Nutzen augenscheinlich befördert wird, veralieniren mag,
 zugeschweigen, daß auch diesfalls angeregte dispositio *Iur. Ca-*
non. in foro nicht obseruirt wird, so ist ic. Hodiernum au-
 tem *Ius Sax. quod continetur in Ord. Rec.* distinguit actus
 specialis mandati & specialissimi, & quidem sic, ut procu-
 rator

rator mandato aliquo instructus, in quo quidam specialis mandati actus expressi, omnes reliquos etiam actus expedire queat, si subiecta sit clausula illa generalis: daß der Gevollmächtigte alle andere actus, die ein special mandat erfordert, oder der principal selbst thun und verrichten könnte oder möchte, expediren solle. Vbi tamen sex causis, qui referuntur ad mandatum specialissimum, excipiuntur sec. verb. Ord. Rec. ad tit. VII. §. 2. Jedoch wollen wir davon die Macht über die Hauptfache zu transfigiren, liti & cause zu renunciren, Iuramenta zu remittiren, oder pro præstitis, documenta pro editis & recognitis zu halten, Copias pro Originalibus zu recognosciren, Gelder, außer was die Unkosten betrifft, einzuhaben, und darüber zu quittieren, ausgenommen haben, als deren sich ein Mandatarius, wenn er nicht darzu besonders bevollmächtigt ist, keinesweges anzumassen hat. Clausulae vero cum libera ne nomen quidem in tota Ord. Rec. occurrit,

§. XII.

QVID DE SUBSTITUTIONE?

Hactenus de clausulis mandato adponi consuetis dictum. Adhuc vero quædam de potestate substituendi, quam DD. pari modo pro clausula mandati, qualis tamen non est, habent, monenda erunt. Iure enim Romano si queraras, an procurator sine permissione domini potuerit substituere, res extra omnem dubitationem posita, illum ante litis contestationem non, bene vero post item contestatam substituendi

D 3



endi potestatem habuisse, idque ex hac ratione, quoniam
 Iure Romano procurator post litem contestatam siebat do-
 minus litis, sec. l. 22 & 23. C. de proc. Ante litem conte-
 statam vero hac potestas illi non competit propter ex-
 pressum text. l. 8. C. de proc. Quod sibi quis debitum exigere
 tibi mandauit, ante litis contestationem tamen alii perendum man-
 dare non potes. Cumque multi hoc dominium litis adhuc
 saluum esse adserunt COCH. Prax. for germ. P. 4; c. 15. in fin.
 LAVTERBACH. Concl. forens. Exerc. II. th. 10. GAIL. l. i.
 obs. 74. n. 10. MYNSINGERVS Cent. I. obs. 42. & Cent. II.
 obs. 39. BERLICH. Part. I. Concl. 27. n. 13. hinc inde conclud-
 dunt, procuratores etiam hodie adhuc post litis contest. posse
 substituere, & probationis causa prouocant ad Rec. Imp. de
 ao. 1507. in quo domini litis expresse nominantur. Ast con-
 trarium, quod etiam ante litis contest. substituendi potestat-
 em habeant, ex ipso illo Rec. Imp. de ao. 1507. patet, vbi sub
 Rubr: wie sich procuratores 35. §. indem die procuratores &
 hac verba sunt: und dieselben in krafft ihrer Gewalt vor Be-
 vestigung, und nach Bevestigung des Krieges &c, andre pro-
 curatores untersetzen. Hoc tamen singulare quoad substitutionem
 institutum in Camera Imp. obtinet, quod in man-
 dato generalis clausula substituendi non sufficiat, sed in spe-
 cie exigatur, vt substituti nomen in mandato exprimatur,
 vt defuncto procuratore substitutus sine vltiore mandato
 processum possit continuare, sec: Rec. Imp. de ao. 1654. §. 100.
 verb: so sollen inskunstige die Partheyen schuldig seyn gleich
 zu Eingang des Rechtsstandes dem procuratori einen sub-
 sli-

situten sit ordinis. hocque adeo obseruatur, vt si substitutus ante procuratorem decesserit, mox noua substitutione opus sit. Restat, vt quid ius nostrum Sax. ea de re statuat, indicemus. Ibi vero pro plane inutili habetur, & si actus quidam specialis mandati expressi, & clausula generalis: das
 der Gevollmächtigte alle actus, so ein special mandat erfor-
 dern, expediren möchte, adiecta fuerit, hæc substituendi po-
 testas intelligitur, sec. Ord. Rec. ad Tit. VII. §. 2. Nec
 interest aliquid, qua formula hæc potestas substituendi sit
 expressa, vbi multi pro varietate modi substituendi maiorem
 exinde deriuare contendunt potestatem, ita vt, si cui po-
 testas substituendi simpliciter concessa, non adiecta clausula
 roties, quories, substitutionemque reuocandi, illa potestas exspiret
 per unicum substitutionis actum, nec alios postea substituere
 possit; deinde formulam iterum iterumque substituendi fre-
 quentiam saltem actus in persona mandatarii indigitare,
 non vero ad substitutos extendendam esse volunt. Post si
 mandatarius potestatem substituendi non etiam reuocandi
 habeat, post substitutionem eum porro in iudicio progredi, &
 denique ulteriore substitutionem a substituto factam ser-
 uarionon posse, nisi clausula etiam inserta, ulteriore substitutione
 potestatem substitutis conferendi putant, de quibus plenius agit
 RIVINVS ad O. P. S. T. VII. en. 51. 54. & 55. Cuncti enim
 hi substituendi modi in speciali mandato cui addita clau-
 sula generalis supra allegata sec. Ord. Rec. loc. cit. subintelli-
 guntur.

§. XIII.



§. 111. *Quinteto di ottocento; Poed.*

NVM ANNI ET DIEI OMISSIONE VI TIET MAN-

DATVM?

In nullis contractibus anni & diei designationem Iure Romano requiri, & multo minus ad validitatem alieuius negotii aliquid conferre, omnibus notum est, præcipue cum clarissima legis verba habeamus in l. 34. §. 1. ff. de pign. vbi queritur, vtrum contractus pignoratius constitatur: an nullius sit momenti, cum sine die & consule sit? Respondit vero ICTUS: *Cum conuenisse de pignoribus videtur, non idcirco obligacionem pignorum cessare, quod dies & consules additi, vel tabula signata non sint.* Hinc igitur a contractu pignoris ad nostrum negotium mandati ob rationis similitudinem concludamus; & sic omnis necessitas adponendi diem & annum euaneat. BORNIT. de fide instrum. l. 1. c. 23. p. 101. MASCARD. de probat. concl. 4. n. 25. in fin. SOCIN. Vol. 4. Cons. 102. n. 19. qui omnes testantur, vtrumque in contractibus esse superfluum, et si tamen quoad contractus non suaserim, vt dies & annus omittantur, quia omnino securius proceditur, si adponantur partim propter prioritatem hypothecæ eo facilius ostendendam, partim vero, si diversi contractus producantur, vt constet, quinam prior vel posterior sit. STRYCK. Caut. Contr. Sect. I. Cap. VI. §. 11. Sunt vero etiam nonnulli, qui necessitatem diei & anni, cum ex Iure Ciuiili nullo modo potuerint, ex Iure Canonico velint probare, quamobrem prouocant ad cap. 4. & fin. X. de pro-

cur. & cap. 7. X. de probat. Sed unusquisque ipse haec capitula legat, & iudicet, utrum illud ex iis adpareat, ego sane ne verbum quidem hac de re ibi inueni. Alii denique ex sententiis & praejudiciis veritatem huius adserti probare studuerunt, cuius rei exemplum BARTH. in Hodeg. forens. cap. I. lit. q. proferit, quo scabinos in casu, ubi mandatarius in extensione mandati loci, anni & diei, oblitus fuerat, sic pronunciantes allegant: daß Kläger andrergestalt und richtiger denn geschehen, vermittelst einer mit Ausdrückung der Zeit gehührend eingerichteten Vollmacht sich zu legitimiren, auch die Unkosten dieses Termins Bekl. zu erstatten schuldig. Quantam vero vim habeant talia praejudicia, quæ nunquam probant, sed solum illustrant, probatum est, præsertim cum ex sola eorum sententia & opinione priuata, neutiquam vero vi legis cuiusdam, qualem in Sax. nullam habemus, ita pronunciauerint. Non tamen, et si necessario quidem non requiratur, aut eius omissione plane vitiet mandatum, omnimodo inutilis est, tum, quia ex illius adiectione de veritate aut falsitate mandati sepe iudicari, & an mandatarius eo tempore ad mandatum suscipiendum habilis fuerit, cognosci potest, tum propter formulam in iudiciis usu receptam, quæ legis habet auctoritatem, adeoque neutiquam est negligenda.

E

§. XIV.



§. XIV.

AN VALEAT MANDATVM SINE SVBSCRIP-
TIONE?

De subscriptione non dubitandum, illam omnino requiri in mandatis, quippe quæ plenum robur omni instrumento tribuit, adeo ut subscribens periinde habeatur, ac si totum instrumentum conscripsisset. CARPZ. P. II. C. 20. def. 9. n. 9. Præsumitur enim probare omnia instrumenti argumenta. HARTM. PISTOR. P. II. qu. 49. n. 24. de quo pluribus vide THEOD. HOEPING. de Iure Sigill. c. 15. Itaque maxime necessaria est, ut adpareat, quis sit, qui mandauerit, idque etiam requirit Ord. Rec. ad Tit. VII. §. 1. verb: wenn sie nur der Principal eigenhändig unterschrieben, tum nimirum, cum mandatum aliena manu scriptum est, quod vero in legibus Romanis limitatur tunc, si totum ab ipso mandante scriptum, quippe quo casu non necessaria est subscriptio, sec. arg. l. 28. §. 1. C. de Test. vbi in conficiendis testamentis, quæ tamen semper maioribus solemnitatibus obnoxia fuere, non requiritur subscriptio, si testator totum testamentum scriperit. Ac semper in contractibus, qui in scriptura consistunt, requiritur, ut aut propria manu scripserint aut subscripterint contrahentes, quod expresse docet Imperator in pr. I. de emt. vend. STRYCK. Caut. Contr. & Test. Sect. I. c. VI. §. 13. BRVNNEMAN. ad Proc. Ciu. c. 1. n.

76.

76. HILLIG. L. 18. c. 12. lit. Ee. Iam alia obuenit quæstio, quidnam obtineat, si constituens scribendi sit imperitus. Ita vero disponit Ord. Rec. Sax. vt aut ad acta sive judicialiter mandatarum confici curer, aut nomine ipsius a Notario & duobus testibus illud subscribatur, ad Tit. VII. §. 1. dieiengen aber, so des Schreibens unerfahren, sollen, wie ohnedem einen jeden frey siehet, vor dem Richter, wo die Sache anhangig, oder auch vor einem andern Gerichte, sich wegen ihrer Gewollmächtigen erklären, und darüber eine registratur versfertigen, oder auch von einen Notario und zweyen Zeugen ein attestat darüber unter die Vollmacht aussstellen lassen. Sed quid tunc eueniet, si pars aduersa subscriptionem a domino factam esse neget? Neque infrequens est illa lis, qua ille, contra quem mandatum in iudicio producitur, negat scripturam eius, cuius nomen subscriptum, petitque, vt procurator ad probandum quod dominus vere id subscripterit, compellatur, procurator autem probationem contrarii ab illo exigit. Neque res omni dubio caret. Nam pro illo adduci potest, quod mandata non reiicienda sint, nisi audit a altera parte, quod priuata scriptura sine agnitione nullam fidem habeat, & quod negantis nulla sit probatio, l. 23. C. de prob. Nihilominus tamen existimo, mandato omnino fidem habendam, nec qui genuinum illud negat, audiendum esse, nisi adsertionem suam, aut argumentis, aut graibus saltem suspicionibus dubitandi, sta-



biliat. Mandati enim, quod ab initio litis ad legitimandum procuratorem, producitur, alia longe ratio est, ac documentorum, quæ totius causæ fundamentum sunt. In his maiore omnino circumspectione opus est, quam in illo. Igitur et si facile largiamus MAEVIO P. 3. dec. 148. mandatum non recipi debere apud acta, nisi audita altera parte, non tamen nudæ huius dubitationes, quæ fundamentum non habent, & ad item protrahendam plerumque excogitantur admittenda sunt. Dicat enim ostendatque causam aliquam & rationem, ob quam mandatum falsum constitutumque putet. Si vero tale non habet, aut demonstrare non potest, definit dubitare de integritate & veritate illius, quod vir probatae fidei & existimationis, (talem enim procuratorem semper intelligimus) produxit. Neque est, quod dicat, neganti sibi probationem imponi non posse; quippe non negat simpliciter, sed affirmat simul aliquid, falsum scilicet, quod a producente comissum sit. Deinde nec probationem exigimus, sed demonstrationem saltem aliquam, & allegationem causarum suspicioris sua. Et hinc etiam nobiscum consentiunt DD. plerique, quos enumerat MASCARD. de probat. Concl. 107. n. 19. Atque in hanc sententiam, quod nimur mandatum presumatur verum, & a domino subscriptum, donec ab aduersario probetur contrarium, responderunt ICti Helmstadienses ao. 1712. verb: was die von Drößnern ausgestellte Vollmacht betrifft, so meinet

meinet zwar Appellant, dieselbe sey annoch von dem Aeltern, und bereits verstorben, nicht aber von den jessigen unterschrieben. Jedoch weil er dieserwegen nicht den geringsten Grund anführt, flagender Almwald hingegen das contrarium behauptet, vor diesen auch die præsumption ist, daß er kein falsum begehen werde, so haben wir es bey solcher in Actis befindlichen Vollmacht gelassen. Quo præjudicio obiectio illa, et si non probetur, quam vim eiusmodi sententias non habere supra diximus, tamen aliquo modo illustratur.

§. XV.

*AN MANDATA NECESSARIO SINT
SVB SIGNANDA?*

Tandem ad ultimum illud in mandatis extendendis negotium, subsignationem nimirum, accedendum, & an illa absolute ad perfectionem & valorem mandati requiratur, disquirendum vero pariter, ut §. præcedenti, inter necessitatem & utilitatem. Necessitatis vero iure Romano non fuit iuxta l. 34. §. 1. ff. de pign. vbi, non id circa, ait ICtus obligationem pignorum cessare, quod dies & Consules additi, aut tabulae signatae non sint. At apud maiores nostros magna sigillorum erat necessitas,

E 3

qui-



quippe qui subsignationibus magnam fidem tribuebant
atque auctoritatem, adeo ut instrumenta valerent sine
subscriptione, si modo a partibus legitime subsignata es-
sent. Cuius rei testandæ causæ, multæ eaeque grauissi-
ma obligationes & pacta in Archiuis reperiuntur. Hoc
vero postea, ob multas super ea re commissas fraudes,
euauuit, ita ut magis subscriptionem hodie spectemus
quam subsignationem. Nec sine ratione. Nam subseri-
ptio omnino valorem dat instrumento, quia sigilla pri-
uata parum fidei habent, cum facillime subtrahi & alieno
Instrumento addi possint, qua ratio etiam sufficiens est
ad refutanda illorum argumenta, qui necessitatem sigillo-
rum acriter defendunt, quod nimurum satis ex iis adpa-
reat, consensu eius ad quem istud pertinet adpositum
fuisse, & ex eo solo contrahentes inuicem obligatos &
deuinctos esse, cum ex solo consensu nascatur obligatio
cuius rei causa etiam præiudicium proferunt, vbi ita a
Scabb. Witebergens. pronunciatum fuit, Obgleich euer Münd-
lein Vater weder lesen noch schreiben können, da aber den-
noch die Verschreibung, darauf Werner Gerhard seine Mah-
nung angefellt, mit einem Petschaft, darauf sein Nahme ge-
schnitten, besiegt, so werdet ihr solche Verschreibung zu re-
cognoscieren schuldig seyn. Primo enim argumentis addu-
ctis neutiquam tollitur periculum subtractionis, quod su-
pra diximus, deinde præiudicium illud casum specialem
continet, vbi contrahens neque legere neque scribere po-
tuit

tuit, & denique a nullo horum, qui hæc flatuunt, lex aliqua produci potest, qua subsignationi maior fides atque auctoritas tribuatur subscriptione. Etsi autem non necessaria esse sigilla, antea satis demonstrauerimus, tamen utilia sunt, primum enim magis confirmant scripturam priuatam, ita ut instrumento eo facilius fides haberi posset, EVERHARD. *Tr. de fide instrum.* c. 12. n. 16. THEOD. HOEPING *de Iure sigill.* c. II. §. 3. n. 224. deinde pleniorum etiam voluntatis intentionem indicant, COVARRUV. *Præf. qu. 22.* n. 9. Tom. 2. quamobrem optime & securius ii procedent, qui vtrumque faciunt, & mandatum subscriptibunt & subsignant, quod etiam sec. Ord. *Pr. Sax. Ver.* requirebatur, Tit. VII. §. 3. verb. Die Mandata und Vollmachten sollen, allerley Missbräuche, so daher eingeschlichen, zu vermeiden, nicht allein von den Partheyen gesiegelt, sondern auch unterschrieben seyn. Idque faciendum erat sigillo proprio, non alieno, neque tali quo implicatus nominis ductus inerat, sec. *Mand. El. Sax. d. d. 15. April. a.o. 1696.* §. 4. Quid vero, si quis sigillum proprium non habeat? Id in subscriptione adnotandum erat his forte verbis; In Ermangelung meines Petschafts. Ius vero *Sax. Nouiss.* omnem subsignationem inutilem censuit, ita, ut propter illius omissionem mandatum neutriquam possit vitari, si modo rite a mandante sit subscriptum sec. *Ord. Rec. ad Tit. VII. §. 1. verb.* Hingegen sollen die Vollmachten wegen unndthiger und überflüssiger

F

Co:



Solemnitäten nicht gefochten ic. oder um deswillen, daß sie entweder gar nicht, oder mit einem verzogenen Nahmen besiegt, keinesweges vor unzulänglich gehalten werden. Receditur tamen ab hac sanctione in Iudicio Mercatorio Lipsiensi, vbi adhuc hodie sigillis mandata munenda sunt, iuxta Ord. Merc. Lips. Tit. VII. von Anwalten und Vollmachten verb. Als soll hinfürho ein jeder ic. seinen Abgeschickten ic. eine von ihm selbst mit völligem Lauf, und Zunahmen eigenhändig unterschrieben, auch Aufdrückung ihres gewöhnlichen Petschaften vollzogene Vollmacht ic. zu geben schuldig seyn. Id quod etiam strenue obseruaturn.

PERORATIO.

Sed ne modum praecriptum egredi, patientiaque dectorum abuti videar, iam erit iste libellus finiendus. Agnoso quidem me non omnia fortasse, qua ad praesentem materiam spectant, exhauste, multaque aut minus recte atque concinne aut non satis accurate tractasse, quorum vero, ut alia ingenio meovsu legendi iudicandi que nondum satis apto, alia vero temporis breuitati condonare velint, rogo, simulque sancte spondeo, me eorum, qui meam qualenicunque hac in re industrijam iucun-



41

iucundis adhortationibus exornabunt, benevolentiam,
magni esse facturum, nec vlo pacto eandem violaturum.
Hac promissione bono animo facta lectores meos dimitto,
aque vt res suas semper feliciter agant, ex animo
opto.



ERFURT, Diss., 1761/67

SS.

ULB Halle
004 995 333

3



VDR8



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

1766, 3
22 54.
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
VITIIS MANDATI
PERPERAM PLERVMQVE REPREHENSIS

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
IN PERANTIQVA HIERANA
P R A E S I D E
**DN. HERONIMO FRIDERICO
SCHORCH, ICTO**

SACRI PALATII CAESAREI COMITE, EMINENTISSIMI AC CELSISSSI PRINCIPIIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO REGIMINIS, MEMORATAE FACVLATATIS ADSESSORE, ET DECRETALIVM PROFESSORE P. GRD.
CIVITATIS ERFORDIENSIS CONSULE PRIMARIO, NEC
NON ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINA SCIENTIARVM VTILIVM
PRAESIDE,

H. L. Q. C.

DIE XXIX. IAN. A. O. R. MDCCCLXVI.
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
LEGITIME CONSEQUENDIS

DEFENDET
AVCTOR
CHRISTIANVS THEOPHILVS BAHRDT

SCHOENFELDEN S. MISN.
ADVOCATVS ELECT. SAXON.

LITERIS HENR. RVD. NONNII, ACAD. TYP.